



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab Anno 483. Usque Ad Annum 561.

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1759

VD18 90117824

§. 10. Lingua Martyribus excinditur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66066](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66066)

Nomine ultima passuros. His multisque Sæculum V.
A. C. 484.
aliis sermonibus vacillans frater ejus ita erectus est, ut exclamaret: *omnia, ut volueritis, tormenta cumulate! fratris exemplum sequar.* Diu multumque laminis ferventibus, & unguibus ferreis cruciati. Tandem lassati carnifices ambos repulerunt, dicentes: *omnis populus eorum fortitudinem imitatur, & nemo ad nostram Religionem convertitur.* Id maxime ideo dicebant, quod in eorum corporibus nec livorem, nec ullum vulnerum vestigium viderent.

§. X.

Lingua Martyribus abscinditur.

Typasi in Mauritania Cæsariana Ariani Episcopum ordinaverant, olim Cyrilli Notarium. n. 6. Id factum indignati Incolæ conscensis navigiis omnes in Hispaniam, a qua non procul aberant, trajece- runt, paucissimis, quibus navis copia defuit, remanere coactis. Hos pervertere Episcopus Arianus primum blanditiis, deinde minis nitebatur; ipsi spreto alieni Episcopi conatu, in quadam Domo convenerunt, & publice celebrarunt Myste- ria. Hoc comperto Episcopus clam Carthagi-

ejus jurasse &c. simpliciter omisit. Egregium Transubstantiationis oppugnatorem! alias duas líneas oscitanter omisit; errores plures reticeo.

Sæculum V.
A.C. 484.

thaginem misit, qui Catholicos dato Libello accusarent. Rex, perlectis quæ afferebantur, ira flagrans Comitem misit cum mandatis, ut singulis lingua, & manus dextra in foro publico & præsentis totius Provinciæ populo abscinderentur. Quod jusserat Rex, executioni datum; nihilominus lingua a radice excisa expedite sicut prius loquebantur. Subjungit Victor Vitensis: *si quis hoc credere nolit, vadat Constantinopolim, ibi inveniet ex illorum numero Subdiaconum, nomine Reparatum, qui non ægre, sed distincte, omnia, quæ vult, eloquitur. Is eapropter singulari honore in Imperatoris Zenonis Palatio, præprimis ab Imperatrice, colitur.*

Bibl. PP. G.
L. tom. 2. p.
415.

Non solum Victorem hujus Miraculi testem habemus. Æneas Gazensis Philosophus Platonius, qui tunc temporis Constantinopoli versabatur, in fine Dialogi sui de Resurrectione hanc rem testatam facit in hunc modum: *hos ego bisce oculis vidi, & loquentes audivi, admiratus, quomodo vox eorum perfecta, & articulata esse posset. Quærebam vocis instrumentum, & auribus meis non credens, oculos adhibui testes, petii, ut os aperirent, vidi evulsam usque ad radices linguam esse, obstupui, non modo quod loquerentur, sed quod adhucdum vitam traherent.*

I. Bel. Vand.
c. 8.

Procopius Historiæ Scriptor, dum hanc Hunerici Persecutionem memorat, dicit: *multis*

tis linguam e faucibus rescindi jussit, qui Sæculum V.
A. C. 484.
mea ætate Constantinopoli degebant, ex-
pedite loquebantur, & nullum amissa lin-
gua incommodum sentiebant. Ex illis duo,
cum, libidine victi, pellices contigissent,
vocis usu privati sunt. Comes Marcellinus
in suo Chronico hæc habet: Rege Hunerico
jubente juveni Catholico, qui natus erat
mutus, lingua exsecta; ecce vero, mox ut
lingua privatus est, loqui cæpit, & dare
Gloriam Deo. Vidi Constantinopoli ali-
quos de illa turba Fidelium, quibus manus
una, & lingua abscissæ, articulate loquen-
tes. Imperator Justinianus in Constitu-
tione post hæc in Africam missa idem se L. I. Cod. de
off. PP. Afr.
vidisse testatur.

§. XI.

Alii Martyres.

Hunericus nec cum Vandalis Catholicis Vit. vit. lib.
V. n. 7.
 mitius egit, nec quidquam Uranii,
 Zenonis Legati, precibus dedit; imo ut
 palam faceret, quam viles sibi Imperator,
 & Romani essent, plures Tortores, & cœ-
 teris ferociores constitui jussit in illis pla-
 teis, & areis civitatis Carthaginensis, qua
 Legato ad Regiam venienti transeundum
 erat. Post longum tempus crudelitatis
 in hac persecutione exercitæ vestigia oc-
 currebant. Quidam sine manibus, aliqui
 sine pedibus, aut sine oculis, sine naso,
 sine auribus conspiciebantur. Aliorum,
Hist. Eccles. Tom. VII. **C** quos